

concede propitius, ut ad delectationes, quæ in dextera tua sunt usque in finem, meritis ejus et intercessione pervenire valeamus. Per Dominum.

Commem. præced.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO II.

Istrus, cognomento Regalatus, Vallisolæti in Hispania nobilibus æque ac piis parentibus ortus, ab ipsa pueritia non levia dedit futuræ sanctitatis indicia. In illa namque ætate nihil puerile sapiens, coequalium abstinēbat consortio, et in solitariis latitando recessibus, unicābat rerum cœlestium contemplationi, jam tum a Deo in benedictionibus dulcedinis præventus. Flagellis, jejuniis, aliisque poenarum generibus se jugiter macerans, carnem intra subjectionem spiritus continēbat, virginitatis, quam ad mortem usque servavit, sollicitus cultor. His itaque exercitiis ad strictiorem vivendi formam se comparans, ea brevi jecit fundamenta, quæ in herōica virtutum mox consurrexere fastigia. Minorum regulam primum in patria profes-

sus est, deinde in Aquile-riano cœnobio restituta observantia præcipuus adiutor et promotor fuit, cujus tam rigidi instituti primordia avidè complēxus, firmiter tenuit et plene consummavit.

R. Honestum fecit.

LECTIO III.

Silentium illi perpetuum, somnus brevissimus, juges ex dono lacrymæ, quibus præcipue in sacro conficiendo mysterio perfundebatur, flagellationes cruentæ, incessus nudis pedibus, vestis tunica una lacerata et hispida, lectus vel palea vel humus: jejunium juxta sui institutoris exemplum, ad novem quadragésimas usque protractum, cibisque ut plurimum panis et aqua. Evangelicæ paupertatis mirificus propugnator et custos, ob cujus exquisitam observantiam in graves etiam, et frequentes offēdit injurias, quas immoto alacrique animo subiens, divinam pro calumniantibus et oppugnantibus exorabat clementiam. Quanto in Deum exardesceret amore, ex eo potissimum apparuit quod si aliquos invenisset leprosos, domum adduceret, eorumque ultima lingua etiam detēr-

eret. Fratrum regimen subire coactus, omnibus numeris explēvit officium, et quos privato jam pridem informarat, publico deinde confirmabat exemplo.

R. Amavit eum.

LECTIO VI.

Asperrimum vitæ genus Aquilariæ incēptum, in conventu de Scalla Cœli, ad Duri ripam prope Vallisolætum fundato, firmiter stabilivit; unde ad diversas Hispaniæ Indiarumque provincias extensum est. Annum denique agens sexagesimum sextum, austeritate vitæ confectus et mortem sibi vicinam præsentiens, Aquilariam perrexit, ut ibi Deo spiritum redderet, ubi rigorosi instituti sumpsit exordium. Febri correptus, alumnis ad exactam regulæ observantiam cohortatis, suaque benedictione munitis, ad illa verba: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, migravit in cœlum, pridie Kalendas Aprilis, anno reparatæ salutis millésimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Cujus viri sanctitatis fama, quæ ubique jam percrebuerat, regina catholica Elisabeth permotâ, solēnni indicta pro-

cessione et astantibus nonnullis Episcopis et clero, ejus corpus, quod in communi fratrum repositum fuerat sepultura, in decentiori et nobiliori tumulo reponendum curavit. Quare ex confluentium multitudine, multis inde obtentis beneficiis recedentium, servi Dei cultus mirifice propagatus est. Quo solēnniter a sacra Rituum Congregatione approbato, Innocentius Papa undecimus de ipso Missam et Officium die decima tertia Maii celebrari concessit.

R. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangelii, fratres de Communi.

In Vesperis Commemor. S. Bonifacii Mart.

DIE XV. MAIL.

S. Isidori Agricolaë

Conf. Matrili Patroni.

Duplex.

(Matrili, Duplex j. classis cum Octava.)

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

IN I. VESPERIS.

Capitulum.

Jac. 5.



Cœ agricola expēctat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec acci-

piat temporâneum et serótinum. Patiéntes igitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra; quóniam advéntus Dómini appropinquávit.

Ad Magnif. Aña. Labóres mánuum suárum quia manducávit, esuriéntem implévit bonis Dóminus Deus noster, allelúia, allelúia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus misericors Deus, beáto Isidóro Agrícola Confessóre tuo intercedénte supérbe non sápere : sed ejus méritis et exémpis plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

In I. Nocturno.
De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

Quatiéntes igitur estóte, fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola exspectat pretiósium fructum terræ, patiénter ferens donec accipiat temporâneum, et serótinum. Patiéntes igitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra : quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicémini. Ecce iudex ante jánuam assístit.

Exémpulum accipite, fratres, éxitus mali, labóris et patiéntiæ, Prophétas qui locúti sunt in nómine Dómini.

R. Euge serve.

Lectio ij.

Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audístis, et finem Dómini vidístis, quóniam misericors Dóminus est, et miserátor. Ante ómnia autem, fratres mei, nolite juráre, neque per cælum, neque per terram, neque áliud quodcúmque juraméntum. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non : ut non sub iudicio decidátis. Tristátur áliquis vestrum? Oret. Æquo ánimo est? Psallat. Infirmátur quis in vobis? Indúcat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini : et orátio fidei salvábit infirmum, et alleviábit eum Dóminus : et si in peccátis sit, remitténtur ei.

R. Justus germinábit.

Lectio iij.

Confitémini ergo alterutrum peccáta vestra, et oráte pro invicem ut salvémini : multum enim valet deprecátio justí assídua. Elías homo erat símilis nobis, passibilis : et oratióne orávit ut non

plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit, et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

R. Iste cognóvit.

In ij. Nocturno, Lectio-nes ut in fine Breviarii eadem die.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discíplulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Lib. 7. Reg. 2. Ep. 32.

Quæ semetipsam Véritas dicit : Pater meus agrícola est : et omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum; omnem vero qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Palmes enim infructuósus tóllitur, quia peccátor fúnditus eradícatúr. Palmes vero fructuósus purgári dicitur, quia per disciplinam recídítur, ut ad uberiórem grátiam perducátur. Sic enim spicárum grana tribulis attríta, arístis et páleis mundántur : sic olivæ prelo pressæ in olei

pinguédinem défluunt : sic botri vineárum pressi cálcibus, in vinum liquéscunt.

R. Iste est.

Ex eodem Tract. in septem Pss. Pœnitent. ad Ps. 6.

Lectio viij.

Qui manet in Verbo, non fraudátur a re-gno. Aliter namque fructum fácere non póssumus, nisi in eo manéamus. Ideóque ait : Manéte in me, et ego in vobis. Ubi enim manéndum nisi in ipso? Deficient domus, palátia córruent, destruéntur civitátes, ab imis sédibus turres evelléntur : Verbum autem Dómini manet in ætérnum. Manéamus ergo in eo, qui manet in ætérnum.

R. Sint lumbi.

Lectio ix.

Non sequámur vanitatem, deseréntes veritatem : nec contristémur sicut céteri qui spem non habent, sed sustineámus eum. Et si moram fécerit, exspectémus, ne contingat nobis quod per Prophétam dicitur : Væ his qui perdidérunt sustinéntiam. Quicúmque mundánæ adversitátis fractus moléstis, diabólicæ tentatiónis infestatióne dejectus, a spe cœléstium promissionum deciderit, sustinéntiæ,

quam prius habuerat, mercedem amittet : qui vero sustinebit, magnam reportabit remuneratiōnem. Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Capitulum.

Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquavit.

Hymnus. Jesu corona celsior.

V. Justum deduxit.

Ad Bened. Añā. Exiit qui seminat seminare semen suum, et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum, allelúia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus misericors Deus, beato Isidoro Agricola Confessore tuo intercedente superbe non sapere: sed ejus meritis et exemplis placita tibi semper humilitate deservire. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Añā. Euge serve.

Capit. Ecce agricola. ut ad Laudes.

R. br. Amavit eum Dominus, et ornavit eum,

* Allelúia, allelúia. Amavit. **V.** Stulam gloriæ induit eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Amavit. **V.** Os justi meditabitur sapientiam, allelúia. **R.** Et lingua ejus loquetur iudicium, allelúia.

AD SEXTAM.

Añā. Fidelis servus.

Capitulum.

Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

R. br. Os justi meditabitur sapientiam, * Allelúia, allelúia. Os justi. **V.** Et lingua ejus loquetur iudicium. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Os. **V.** Lex Dei ejus in corde ipsius, allelúia. **R.** Et non supplantabuntur gressus ejus, allelúia.

AD NONAM.

Añā. Serve bone.

Capitulum.

Multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis, passibilis: et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

R. br. Lex Dei ejus in corde ipsius, * Allelúia, allelúia. Lex. **V.** Et non supplantabuntur gressus ejus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lex.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, allelúia. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in j. præter

V. Justum deduxit.

Ad Magnif. Añā. Ecce homo agricola iste fuit, quoniam Adam exemplum ejus ab adolescentia sua, ad serviendum Deo viventi, allelúia.

Vesperæ a Capitulo de S. Joanne Nepomuceno.

EADEM DIE XV.

(aut alia die assign. post Fest. S. Isidori Agricolæ.)

S. Torquati

Episc. et Mart. Duplex. (In Dicec. Guadal. Duplex j. classis cum Octava.)

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch. præter sequentia.

In j. Vesperis ad Magnificat. Añā. Gaude, felix Accitana civitas, quia in te recepisti beatum Torquatum, fidem Christi prædicantem, allelúia.

Oratio.

DEus, qui nos per beatum Torquatum Martyrem tuum atque

Pontificem ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Dicec. Guad. A Miléto. de Communi.

Notandum pro Archidiecepsi Hispalensi, quod sequentes Lectiones j. Nocturni etiam dicuntur in Festo SS. Torquati et soc. Mart. die xxij. Maii.

In II. Nocturno.

Leccio iv.

UO tempore primam in Christianos persecutionem Nero immanissimus imperator excitavit, beatissimi Apostoli Petrus et Paulus Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesygium et Euphrasium, beati Jacobi Apostoli discipulos, Episcopos Romæ ordinarunt, et ad prædicandum Christi Evangelium in Hispaniam miserunt. Cum autem ad eam provinciam pervenissent, prope Accitanam urbem in viridi campo, ut longitūdine itineris lassati aliquantulum quiescerent, constitērunt. Cumque ad civitatem victus emēdi

causa aliquos misissent, pagani, qui tunc forte deorum suorum festa debacchantes peragebant, visis diversi habitus ac religionis peregrinis hominibus, in eos furentes prosiliunt: et ad Sanctos perveniētes, omnes pariter in fugam actos, usque ad flumen persequuntur.

R. Lux perpétua.

Leccio v.

SED ut viri Dei pontem pertransierunt, pons qui mirae magnitudinis et firmissimus erat, concidit et Gentilium multitudinem Sanctos persequentem pariter oppressit ac demersit in aquas. Quo miraculo accolae territi, eos postea revocare et in honore habere coeperunt. In primis Luparia quaedam praecleara mulier benigne illos suscepit, atque ab his fidem edocta, in oratorio, quod ipsa construxerat, baptizata est. Cujus exemplo quamplurimi in Christum credentes, relictis idolis, Baptismi sacramentum suscepērunt.

R. In servis.

Leccio vj.

HUJUS igitur urbis (quae tunc prima Christi Domini fidem in Hispania recepit) beatus Torquatus

Episcopus designatus est: ac ceteris ad alias Hispaniae terras abeuntibus, ipse Acci remansit, ubi multis pro Christo perfunctus laboribus, demum Martyroccubuit. Ejus corpus in eadem urbe (quae nunc Guadix appellatur) primo sepultum est. Juxta cujus sepulcrum olim arbor olivae erat, quae in natali Martyris florēbat simulque fructus uberes emittēbat; e quibus oleum expressum ad varios morbos curandos adhibebatur. Inde in Gallaciam translatum in quodam coenobio ordinis sancti Benedicti condigno honore asservatur. Sodales sancti Torquati, et ipsi in variis urbibus Episcopi constituti, Christi Evangelium praedicarunt, et in eis quieverunt: Ctésiphon Vergii, Secundus Abulae, Indaletius Urce, Caecilius Illiberi, Hesychnus Cartage, Euphrasius Illiturgi: quorum corpora ad alias Hispaniae urbes translata sunt.

R. Filiae Jerusalem.

In iij. Nocturno, Homil. Iste locus. de Communi Mart. tempore Paschali.

Ad Bened. Aña. Dum beatus Torquatus sanctum Jesu Christi Evangelium Accitanis praedicaret, nó-

bilis matrona, Luparia nomine, fidem Christi suscepit, ad cujus exemplum magna pars civitatis baptizata est, alleluia.

In ij. Vesperis ad Magnificat. Ana. Beatus Antistes Torquatus in civitate Accitana a paganis necatus, illustre fidei testimonium Christo Domino reddidit, alleluia, alleluia.

Vesperae a Capitulo de S. Joanne Nepomuceno.

EADEM DIE XV.

VEL ALIA DIE.

S. Indaletii

Episc. et Mart. Duplex. (In Dioc. Almer. Duplex j. classis cum Octava.) Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui nobis ad primitias fidei propagandas beatum Indaletium Martyrem tuum atque Pontificem tribuere dignatus es: da quaesumus, ut quem festivo veneramur obsequio, ejus intercedentibus meritis aeterna gaudia consequamur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Almer. A Miléto. de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Leccio iv.

INDALÉTIUS, cujus illustre nomen variis Ecclesiae fastis reperitur inscriptum, unus fuit e septem praecipuis sancti Jacobi Apostoli discipulis, qui a beato Petro Episcopi postmodum ordinati, et in Hispaniam ad seminandum Dei verbum directi, primas ibidem episcopales sedes fundaverunt. Is ergo una cum sociis Torquato, Ctesiphonte, Secundo, Caecilio, Hesychno, et Euphrasio laboriosissimum onus convertendi ad fidem Gentes, veterum errorum alioqui tenacissimas, alacri gaudentique animo suscepit. Quas illi fidenter sperabant a jugo diaboli divina virtute solvendas, quantum validius ethicae superstitionis nexibus ligabantur. Inlyti ergo Christi athletae, cum post magna et ardua itinera Accim superioris Beticae urbem pervenissent, vires aliquantum prope ipsam refecturi quiescebant; quo nimirum die paganorum multitudo illis, qui putantur dii, et non sunt, sacriliegum solenni pompa festum celebrabat. Cum autem aliquos ex discipulis ad emendos cibos in

urbem misissent, bárbara gens, diabólico furóre acta irruit in servos Dei : quos fugæ se committentes, usque ad amnem non longe fluentem persecúta est. **R.** Lux perpétua.

Lectio v.

Pons super flumen erat miræ magnitudinis, ac tantæ firmitatis, ut nulli ævo cessurus videretur; quem cum sancti Antístites essent ingressi, numerosa persecutorum turma, sævum in ipsos impetum faciens ascendebat. Sed ecce repente divinæ virtutis auxilium. Statim enim ac sancti viri transierunt, ingens illa et elata moles cum furéntium hominum multitudine horribili strépitu in fluentem corruit. Ceteri vero tanti miraculi evidéntia territi, in seipsos reverti cœperunt; ac furóre in reverentiam converso, ad servos Dei accurrentes, ut apud ipsos manerent, invitabant. Quo in officio pietatis ceteris præfúlsit matróna de ordine senatorio, Lupária nómine, quæ inspirante Deo sacros Antístites benigne excepit, ab ipsisque fide instrúcta et baptizata, ædiculam pro sacris Christianorum extrúxit; atque copiósam segetem

inde in hórrea Dómini invehentes, Torquatúmque ibi primum loci Episcopum relinquentes, ceteri ad opus apostólici ministérii álibi exercéndum progréssi sunt. **R.** In servis suis.

Lectio vj.

Indalétius autem Urcum, finitimam et olim magnitudine célebrem civitatem erudiéndam suscepit, ibique sedem figens, innúmeros filios vitæ sanctitate et verbi virtute Christo per Evangelium genuit. Ex quo mire per totam regionem religio christiána, ejectione Géntium idólis, propagata est. Ipse autem multis confectus ærumnis, ac imménsis superátis laboribus pro confessione Christi et fidei christiánæ propagatione, méritis plenus ac miraculorum glória illustris, obdormivit in Dómino. Corpus ejus ibidem a Christiánis religiosissime sepúltum, post generalem Hispániæ devastationem, ad monastérium sancti Joánnis Baptistæ, quod a Pina vocant, in Aragóniæ regno, divina providéntia translátum et honorificentissime tumulatum fuit. Sedes autem nova prope Urcum extrúcta urbe, quam modo Almériam vocant, catho-

licorum regum pietate restituta est; ac Indalétium ut primum ejus fundatorem, ac præcipuum urbem et diocesis patrónum, summa omnes devotíone venerántur. Ad cujus augmentum Clemens duodécimus Póntifex máximus, ut acta ejusmodi in ejus festo legerentur, benigne indulisit. **R.** Filiæ Jerusalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. **de Communi temp. Paschali.**

Vesperæ a Capitulo de S. Joanne Nepomuceno

EADEM DIE XV.

VEL ALIA DIE.

S. Euphrasii

Ep. et Mart. Dicec. Giennensis Patroni. Duplex. (In Dicecesi Giennensi, Duplex j. class. cum Oct.)

Omnia de Communi unius Mart. temp. Pasch. præter sequentia.

Oratio. Infirmítatem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Gienn. A Miléto. de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Ex Script. S. Gregorii VII. et ex S. Eulogio in apologetico Martyrum.

Lectio iv.

Euphrásius Apostolorum discipulus cum Torquáto, Ctesiphónte, Secúndo, In-

dalétio, Cæcilio et Hesychio Romæ a sanctissimis Petro et Paulo Episcopis ordinátus, in Hispánias ad prædicandum verbum Dei una cum illis ab iisdem Apóstolis directus est. Hic ergo et sócii, cum váriis úrbibus destrúcta idololatria christianitatem fundassent, et religionem plantassent, ordinem et officium in divinis cultibus ostendissent, et sanguine suo ecclésiis dedicassent, ea in provincia diversis in locis quieverunt, e quibus Euphrásius Illiturgi martyrii palmam consecutus esse dicitur. Ejus corpus pie recónditum est in loco, ubi basilica ejus nómine Sisebúti Hispaniarum regis tempore exstrúcta est. Cujus basilicæ cum Saracénis Hispánias occupántibus nulla remansissent vestigia, Dei tandem voluntate factum est, ut recens anno Dómini millésimo quingentésimo septuagésimo tertio exstrui cœpta sit. In quam anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, mense Máio, beati corporis pars e parochiáli ecclésiá oppidi, cui Valdemáo nomen, translata, restituta est. Ubi religiósá veneratione summaque celebri-

tate et máximo populórum concúrsu cólitur.

R. Lux perpétua.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Orat. de S. Ignatio ante médium, tom. 5.

Lectio v.

TEmpus animadvértite, fratres, quo dignitatem episcopálem beátus Euphrásius est assecútus. Neque enim éadem est nunc, quæ tunc erat Ecclésiám gubernándi conditio : ut non æquális est labor, viam tritam et plane parátam post multos ingredi viatóres, atque eam quæ nunc primo secánda est, quæque prærupta et saxósa ferisque plena, nec ullum adhuc viatórem admisit. Hoc quidem tẽpore per grátiam Dei nullum Episcopis periculum imminet : sed pax úndique profúnda, et tranquillitate cuncti perfrúimur ; cum pietátis verbum orbis terrárum términos occupárit, et qui regna atque impérium obtinent, eámdem quam nos fidem studiósè colant atque obsérvent. Tunc autem nihil erat hujusmodi, sed quocúmque quis óculos vérteteret, ubique præcipítia, bárastra et bella et pugnæ et pericula. Imperátóres et re-

ges et pópuli et civitatés et gentes et doméstici et aliéni credéntibus insidias tendébant.

R. In servis.

Lectio vj.

NEque vero id solum erat grave, sed étiam quod credéntium plerique, útpote tunc primum nova dógmata degustántes magna egébant sollicitúde : et erant imbecillióres, et sæpe supplantabántur. Quod quidem non minus affligébat doctóres, quam extérna bella : quin étiam multo magis. Extérnæ enim pugnæ atque insidiæ propter repósitæ mercédís spem voluptátem étiam áliquam afferébant. Idcirco et Apóstoli gaudentes a conspéctu concílii discedébant, quod vérbra pertulissent. Itaque Paulus étiam clamat : Gáudeo, inquit, in infirmitátibus meis. Et semper in tribulatióibus gloriátur.

R. Filiæ.

In iij. Nocturno, Homil. Iste locus. de Comuni tempore Paschali.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE XVI. MAII.

S. Joánnis Nepomuceni

Mart. Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii eadem die, j. loco.

DIE XVII. MAII.

S. Paschalis Baylon

Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario, eadem die, præter Lectio-nes iij. Nocturni.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tẽpore : Respóndens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

Expos. mor. in Job, 34. cap. 17. et seq.



Audiant simul omnes : Deus superbis resistit, humilibus autem dat grátiam. Audiant omnes : immúndus est apud Deum omnis qui exáltat cor suum. Audiant omnes, Quid superbis, terra et cinis? Contra hujus languóris pestem audiámus cuncti quod magistra Véritas docet, dicens : Discite a me, quia mitis sum et húmilis corde. Ad hoc namque unigénitus Dei Filius formam infirmitátis nostræ suscepit ; ad hoc invisibilis non

solum visibilis, sed étiam despéctus apparuit ; ad hoc contumeliárum ludibria, irrisionum opprobria, passionúmque torménta tolerávit, ut superbum non esse hóminem doceret húmilis Deus.

R. Iste est.

Lectio viij.

Quanta ergo humilitátis virtus est, propter quam solam veráciter edocéndam is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passiónem factus est parvus! Quia enim originem perditióni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptiónis nostræ invénta est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter ómnia cónditus, vidéri super ómnia voluit elátus. Redemptor autem noster magnus manens super ómnia, fieri inter ómnia dignátus est parvus. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Levíathan iste rex dicitur superbórum, aperte cognóscimus, quod evidentissimum reprobórum signum superbia est, at contra humilitas electórum.

R. Sint lumbi.

Lectio ix.

CUM ergo quam quisque hábeat cognóscitur, sub quo rege mili-

tet, invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris. Unde et per Evangelium dicitur: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ne igitur nos Leviathan istius membra vel mira faciendo fallerent, apertum signum Dominus, quo deprehendi valeant, demonstravit, dicens: Ipse est rex super universos filios superbiae. Qui etsi quando fictam speciem humilitatis assument, semetipsos tamen celare in omnibus nequam possunt, quia eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, semper pavidi atque ex omni latere circumspecti, adversum jacula elationis pugnant, et quasi contravenientis ictus solum magis in suo corpore oculos custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

Te Deum laudamus.

DIE XXI. MAIL.
S. Felicis a Cantalicio

Conf. Semiduplex.
Omnia ut in fine Brev.

DIE XXII. MAIL.
SS. Torquati et soc.
Episc. Mart. Discipulorum
S. Jacobi Apost. Duplex.
(Ex decr. S. R. C. 12. Julii 1886. in Barchin.)
Omnia de Comm. plurim.
Mart. temp. Pasch. prae-
ter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos post beatissimum Jacobum Apostolum per beatos Martyres tuos atque Pontifices Torquatium, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Caecilium, Hesygium et Euphrasium ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: concede propitius; ut quos festivo veneramur obsequio, eorum intercedentibus meritis, aeterna gaudia consequamur. Per Dominum.

Commem. praecedentis.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lectiones. Quo tempore. ut supra die xv. Maii. 85.

In iij. Nocturno, Homil. Iste locus. de Communi Martyrum temp. Pasch. Vesp. a Capit. de seq.

DIE XXIII. MAIL.
Apparitionis
S. Jacobi
Apostoli et Hispaniae Patroni. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laud. Psalmi ut in j. Vesperis de Comuni Apostolorum.
Capitulum et Hymnus de Laudibus.

V. Constitues eos principes super omnem terram, alleluia. R. Memores erunt nominis tui Domine, alleluia.

Ad Magnificat, Añæ. Visitavit nos per sanctum suum Apostolum, et fecit salutem de inimicis nostris Dominus Deus noster, alleluia.

Oratio ut ad Laudes.
Commem. praecedentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum regem triumphantem in terris, * Venite adoremus, alleluia. Ps. Venite.

Hymnus.

Jacobum celebret fortis Iberia,
Jacobum meritis tollat honoribus,
Per quem, barbarici ne scia foederis
Victrix imperat hostibus.
Vectigal truncibus pendere flabile
Urgetur dominis imperiosius;
Centenasque lupis sponte rapacibus
Lectas sistere virgines.
Aversata nefas, arma ferocior

Poscit: mox Arabem, fida Ramiro,
It contra: numero sed nimis impari
Virtus cedere cogitur.
Quid sperare datur? Pro micat aethere
Proles horribici clara tonitru,
Lunatasque acies, agmina barbara
Sacro lumine disjicit.
Ardens in medios fertur acinaces,
Instatque attonitis, undique pavidos
Maurorum cuneos rumpit, et integra
Victor proterit agmina.
Esto exercituum non superabili
Ductori ac Domino jugis honor Patri,
Cum Prole unigena, alioque Pneumate,
Per labentia saecula.
Amen.

Añæ, Psalmi et V. de Comuni Apostol. temp. Paschali.

In I. Nocturno.

De libro secundo Machabaeorum.

Lectio j. Cap. 11.

Mysias, procurator regis, et propinquus, ac negotiorum praepositus, graviter ferens de his, quae acciderant, congregatis octoginta millibus, et equitatu universo, veniebat adversus

sus Judæos, existimans se civitatem quidem captam Géntibus habitaculum facturum, templum vero in pecuniæ quæstum, sicut cetera delûbra Géntium, habiturum, et per singulos annos venale sacerdotium, nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus, in multitudine peditum, et in millibus equitum, et in octoginta elephantis confidebat. Ingressus autem Judæam, et appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Jerosolyma intervâllo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat.

R. Procedens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi, * Et vocavit eos : qui statim, relictis rétibz et patre, secuti sunt Dominum, alleluia. **V.** Erant Jacobus et Joannes fratres in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes rétia sua — Et vocavit.

Lectio ij.

UT autem Machabæus et qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. Et ipse primus Macha-

bæus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, et ferre auxilium fratribus suis. Cumque pariter prompto animo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis : non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare.

R. Vocavit ad se Dominus Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et fecit ut essent secum inter duodecim, et ut mitteret eos predicare. * Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitruum, alleluia. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. — Et imposuit.

Lectio iij.

IBant igitur prompti de cælo habentes adiutorem, et miserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos : universos autem in fugam vertérunt, plures autem ex eis vulne-

rati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, et intelligens invictos esse Hebræos omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos, promisitque se consensurum omnibus, quæ justa sunt, et regem compulsurum amicum fieri. Annuit autem Machabæus precibus Lysiae, in omnibus utilitati consulens.

R. Cum venisset Jesus in domum principis synagogæ, * Non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ, alleluia.

V. Et dixit : Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. — Non permisit. **Gloria Patri.** Non.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nter innúmera eaque máxima beneficia, quæ beato Jacobo Apóstolo, ac tutelari suo munificentissimo accepta refert Hispania, illud imprimis memorandum et æterna grati animi significatiōe recolendum est, quod ad Clavigium Rivogiæ montem olim obtinuit. Cum enim

Saraceni, Hispaniæ latissime dominantes, centum núbiles puellas a Christianis exigere consuevissent, easque Abderramánus potentissimus ipsorum rex tributi nomine repræsentari sibi minaci legatione flagitaret, Ranimirus, qui Legionis regnum nuper adierat, ad effrontem Mauri postulantis audaciam totus inhorrui; paratusque extréma quæque experiri potius, quam tantum christiænæ fidei probum, tantam nomini Hispano labem aspègere : aut pati, ut christiænæ virgines Mauris, id est, margaritæ porcis, innocentes agnæ voracibus lupis traderentur, ex tota ditione, quotquot erant armis idonei, ad signa vocavit : coactoque exercitu, quem Præsules, Sacerdotes, aliique viri sacri, ut in communi discrimine, sponte sequebantur, in Maurorum fines ultro animosus irrupit. Abderramánus contra, potentia tumidus, repulsa ferox, et Ranimiri provocatiōe ferocior, auctis novo delictu veteranis copiis, Africa etiam in auxilium evocata, impigre Christianis occurrat.

R. Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem